



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118332**

§. 32. Ludovicus Delphinus Patris sui obitum in Flandria edoctus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

pam præcedebat Ludovicus Harcurtius Sæcul. XV. A.C. 1461.  
 Archiepiscopus Narbonnensis, qui etiam  
 tam in Ecclesia ad Beatam Virginem,  
 quam in templo Sancti Dionysii Pontifi-  
 cali veste ornatus iusta persolvit; proxi-  
 mi sequebantur Parisiensis Prætor, &  
 Curie forensis Judex, præter plurimos  
 Ordinum Religiosos. Cum vero cada-  
 ver ad medium Chori Ecclesie Cathed-  
 ralis deponeretur, defunctorum vesperæ  
 decantabantur; altera vero die sexta  
 Augusti, quæ erat feria sexta, solemnes  
 celebratæ sunt exequiæ, ubi Narbonen-  
 sis Archiepiscopus Sacris operatus est.  
 Tertia post meridiem hora Regis corpus  
 ad Ecclesiam S. Dionysii deferrebat,  
 ibidemque idem Archiepiscopus solemn-  
 ritu rem divinam peregit, & Thomas de  
 Courcellis Theologus funebrem oratio-  
 nem habuit: quibus omnibus absolutis,  
 cadaver de more ad capellam repositum  
 est.

§. XXXII.

*Ludovicus Delphinus Patris sui obitum  
 in Flandria edoctus.*

Carolus Andegavensis Dux Cenoma-  
 nensis Comes tres Cursores ablega-  
 bat, qui Delphino mortem Patris sui nun-  
 tiarent. Hi eadem, ut fertur, die, qua  
 Carolus fati functus est, Canebi in Bra-  
 bantia,

*Monstrelet.  
 Vol. 3. f. 88.  
 Ballef. hist.  
 Franc. l. 1.  
 num. 1.*

Sæcul. XV. bantia, ubi tum Delphinus agebat, ad  
A.C. 1461. venerant.

## §. XXXIII.

*Ludovicus XI. defuncti Regis  
Successor.*

**D**elphinus securitate folli lætior, quam defuncti Patris sui nuntio afflictus, nequidem exterius dolorem simulare sollicitus erat. Jam tum exigua hujus Principis erga Patrem pietas, necnon vexationes, quibus hucusque Delphinatum afficiebat, haud obscure funestum futuri Regiminis successum præfagebant.

## §. XXXIV.

*Rhemis unctus ac inauguratus.*

**C**um adhucdum inter Regni Proceres numerarentur non pauci, qui Carolo II. defuncti Regis Filio adhærebant, haud immerito Ludovicus natu major Filius horum potentia a folio excludi verebatur; quapropter velocissimo equorum cursu Rheinos contendit, ut ibidem sacri olei ac inaugurationis solemnia reciperet. Habuit itineris socios Burgundiæ Ducem, ejusque Filium præter quatuor millia selectioris militiæ Viros. Die decima quinta Augusti in festivitate Beatissimæ